

## 2 DESCRIPT. INSVLÆ ORIENTALIS

Delphis oneraria vna Diabolus Delphenfis dicta, quæ quingentorum onerum capax, Nauclerum habebat Simonem Nigrum, classiariis ducentis & quinquaginta sex, tormentis vero viginti quinque munita erat. Horno oneraria vna Cornu dicta, quæ onerum quadringentorum & quinquaginta capax, Nauclerum habebat Martinū Clotendreichem, classiariis centū & sexaginta sex, tormentis vero viginti duobus munita.

Præterea ex Selandia quoque naues tres soluerunt, onerariæ nempe duæ: Vna Mittelburgum dicta, quæ subpræfectum seu Viceadmiralem, Franciscum Witterum nomine portabat, onerum quingentorū & quinquaginta capax. Hæc Nauclerum habebat Leonhardum-Cornelium Cracelum, classiariis ducentis & septendecim, tormentis vero viginti octo munita. Altera onerum erat ducentorum & viginti capax, Nauclerum habens Guilielmum Iacobi, & classiariis centum quadraginta, tormentis vero viginti sex munita. Tertia celox erat, onerum centum & triginta capax, Nauclerum habens Cornelium-Adrianum Heuvvagium, classiariis sexaginta septem, & tormentis sedecim munita.

Constabat igitur vniuersa hæc classis, nauibus onerariis seu maioribus nouem, minoribus vero siue celocibus quatuor, in quibus omnibus tam classiarii milites, quam duces, & ministri seruitoresque nautici alii, mille nongenti & quadraginta duo, tormenta vero trecenta & duo numerabantur.

*Classis quando soluerit & mari se commiserit.*

Et milites quidem ad quatuor istas onerarias & duas Celoces Hollandicas destinati, cum post institutam 20. Nouemb. die lustrationem, Texeliam 27. Nouembris, quod 14. miliaribus ab Amstelrodamo distans oppidum est, delati essent, subsistere ibi ad 22. Decemb. diem, quod rebus necessariis instructæ naues reliquæ nondum essent, coacti sunt. Prædicta igitur 22. Decemb. die, cum ventum sibi fauere vidissent, sublatis statim anchoris soluerunt & carbasa ventis permiserunt, Hollandia nauis, in arenis, quibus paulo post adhæserat, post se relicta.

Die 23. Decemb. cum horis matutinis Dunquercam Flandriæ oppidum præteruecti essent, ad Caletum Galliæ oppidum post meridiem delati, cursum suum ita direxerunt, vt à sinistris illud, Douera vero castellum in præalto monte situm, & à Cacodæmone, vti fama est, ibi excitatum à dextris ipsis essent. Die 25. Wichtam Angliæ cernentes, ad dextram eam post se reliquerunt, Ruffo leone cum sagittis, in nauim, quam confœderatam prouinciam vocabant, cum impetu, vt malum inde non exiguum contraheret, delato. Inde 26. Decemb. certum singulis cibi potusq; demensum, ministrari cœptum est, ne alimonia per incuriam iusto citius absumpta, carere postmodum & cum fame conflictari necesse tandem esset.

Calendis Ianuarii Anno 1608. Hispanicum mare vix ingressi, procellas tempestateque ingentes per octiduum experti sunt, vt non parum inde damni in nauibus, maxime vero in Cacodæmone Delphensi contraherent, quod progredientes tamen quoquo modo repararunt. Sexto Ianuarii dissipata ventis classe, tres onerarias, vnamq; Celocem, Amstelrodamum nempe, Ruffum leonem Sagittiferum, Cornu & Pauonē ex conspectu amiserunt, vt quid ipsis factum, incerti omnino essent. Quin & ventus ex aduersa plaga ingruens, tanto eos impetu inuasit, vt abreptas vi maxima cum Celoce vna ex residua classe, onerarias duas in Angliam ad leucas nonaginta reiecerit. Verum tempestate illa ad 12. Ianuarii tandem

tandem